



§. I.

Generalia notanda circa remedia.

Circa remedia notandum, quod debeant esse morbo adæquata, facile parabilia, simplicia, ætati, idiosyncrasiae, gustui & consuetudini accommodata.

Remedia sint *morbo adæquata*, id est, nec minora nec majora morbo esse debent; sunt enim, qui exquisita quidem præscribunt remedia, sed tam parva dosi, ut vir sapiens effectum sperare non possit: e. g. si in morbo acuto mixturæ addas nitri tantillam solummodo quantitatem, ut in singulas doses aliquot solum grana ingrediantur.



Facile parabilia. In majoribus civitatibus alioquin omnia parari possunt; sed ruri medicus talia feligat & prescribat oportet, quæ, quantum id fieri potest, domi parari possunt.

Simplicia. Contra simplicitatem remediorum multum peccatum est, non quidem tempore *Hippocratis*, qui simplicissima prescripsit, sed priori & initio hujus saeculi; imo nunc adhuc peccatur hinc inde a medicis, qui omnibus symptomatibus opposita corpora in unam redigere formulam adlaborant; nam occurrunt saepe formulæ, quæ ultra viginti numerant ingredientia. Certe ignorat morbum is, qui compositam ultra necessitatem prescribit formulam.

Accommodata ætati. Non omnia remedia, neque omnes remediorum formulæ omni convenient ætati; sic infanti & puero non pulveres, neque decocta, sed mixturas, syrups aut talia prescribas, quæ in formam syrupi

rupi redigi possunt, si convenienter
præscripsisse velis. Juveni alia, alia
viro convenient.

Idiosyncrasie. Dantur præcipue hypochondriaci aut hystericæ, quæ ascam fætidam, castoreum, &c. non ferunt, imo dantur, qui corticem quoque aversantur vere, quin rationem aut reddere, aut detegere possis.

Gustui, si fieri potest; nam conductit & honori medici, & sœpe etiam bono ægri, palato delicatulorum gratificari.

Confuetudini; nam ubique fere locorum quædam formulæ & medicamenta præ aliis adamantur, quorum cognitionem sibi præsertim junior medicus sedulo comparare studeat, neque iis exceptis, quæ sola non sufficiunt, & simul alia requirunt, ut morbo sufficient: e. g. in morbis acutis moris est, præscribere mixturas, quamvis tota res potius a potu multo diluente emolli-



enteque dependeat; sed tamen, cum moris sit, eas negligere non debemus.

Ad ea, quæ circa generalia medicamentorum notanda veniunt, pertinent quoque monita sequentia:

1^{mo}. Reliqua vitæ victusque ratio vires medicamentorum adjuvet; sit adeoque ipsi morbo opposita, nam alias effectum non obtinebis: e. g. si medicamenta diluentia sint, etiam victus fit dilutus, non laetus, si paccantia, motum sistentia, hæc quoque vitæ ratione, quiete scilicet, adjuventur.

2^{do}. Neque in quavis levi ægritudine remediis uti oportet, quia sæpe sola quies & conveniens vitæ victusque ratio eam tollit.

3^{tio}. Neque danda morbo graviora remedia, nam si in levi diarhæa, cephalagia, dolore artuum &c. statim ad fortia purgantia &c. accedas, potius nocebis.

4^o. Neque danda remedia in morbis imaginariis; dantur præcipue hypochondriaci, qui semper se ægros putant; dantur, qui quidem ægrotant, sed ideo, quia ultra ætatem & vires fani esse volunt, quibus loco medicamenti suadendum potius, ut ea assument, quæ ætati & viribus proportionata sunt; dantur tandem imaginarii, qui, quoniam aliqua antehac lue laborarunt, semper adhuc aliquid latere credunt; his nil præscribendum, sed monita danda, aut si circumstan- tiae id petant, lenissima solum exhibenda sunt remedia.

5^{to}. In morbis insanabilibus nunquam remedia curativa danda sunt, e. g. in cancro, in strumis, quibusdam scrophulis, scirho inveterato, &c. aut si dentur tamen, saltem non sint gra- viora, curatio enim talis esse debet, ut, si successus non sequatur, saltem non noceat. Juniores præcipue me- dici cauti esse debent, ne tales acci- piant ægros, de quibus experti despe-

A 5 ra-



rarunt jam , aut si accipient , ne pro-
mittant nimium , cum hac in re pluri-
mum periclitetur ipsorum salus & ho-
nor. Felicissimus certe ille , qui sin-
cerissimus , & quamvis interdum pru-
dentia ægro veritatem dicere vetet ,
tamen ea cognatis , quorum interest ,
dici debet , quod præcipue in phtyfi-
cis obtinet.

6^{to}. Neque mitiora morbo remedia dan-
da sunt ; dantur scilicet medici , do-
cti quidem & bene instructi , sed ob
defectum experientiae ad lectos ægро-
rum nescii , quid natura ferat , adeo
timidi in dosibus , ut præscribant op-
tima remedia tam parca dosi , ut nil
efficiant.

7^{mo}. Non mutanda remedia , neque au-
genda sunt absque ratione. Sunt me-
dici , qui omni die interdum bis mu-
tant & augent medicamenta , ut ef-
fectum , uti dicunt , obtineant , quasi
nesciant , plerorumque morborum cer-
ta esse tempora , certas periodos , in-
tra

tra quas mutatur eorum conditio.
Bonum medicum practicum oportet
nosse singulorum morborum naturam
periodosque mutationum, ut sciat, in-
tra quod tempus levamen sperari
possit.

8^{vo}. Viliora pretiosis, domestica phar-
maceuticis præferenda, si ejusdem
virtutis fuerint, nisi quis majorem in
pretiosis habeat fiduciam.

9^{no}. Grata ingratis, probata incertis
præponenda; gratiæ studendum præ-
cipue in infantibus, pueris aliisque
delicatioribus, cum sœpe successus in-
de dependeat: e. g. si corticem ita
combines cum aliis, ut libenter aut
saltem non adeo inlibenter assumatur.

10^{mo}. Exoleta exulent penitus: e. g. Pul-
vis cornu cervi, lapidis bezoardici,
margaritæ, mumiæ, stercora, &c. fuere
nempe & adhuc sunt, qui simum e-
quinum commendant in tetano, sed
cur? si omnia emollientia id præ-
stent?



stent ? alii commendant sterum humanum contra arthritidem , aurum fulminans in rabie , ilæo , pertinaci obstructione , &c. cum tamen iners est , nisi ob salem adhærentem purget , clavum S. Ruperti tanquam præservationem universalem , amuleta varia plurimasque alias infanias.

II^{mo}. Cavendum , ne in leges chemicas peccetur , de quo inferius plura.

§. II.

Modus præscribendi & regulæ circa formam observandæ.

Modus præscribendi variat pro ratione dosis & formæ , quæ iterum variæ sunt pro ratione morbi , partis affectæ , ætatis , sexus , &c.

Pulveres *Pulveres* initium faciant ; hi vel interne sumuntur vel externe inserviunt pro fæculo , suffimio , balneo , dentifricio , aut quocunque alio scopo chyrurgico.

Ma-